et absolutum perpetuo quietant. Causam eandem et Actionem iudicianam, prosecutionem, et ipsam poenam Bannitionis perpetuae, cum eius publicatione Cassat, mortificat et annihilat praesentibus, sibi, suisque posteris ratione praemissorum perpetuum imponendo silentium. Qua nihilominus eadem Causa et Actione iudiciaria quoad personas aliorum Inculpatorum in processu Causae specificatorum, sibi Recognoscenti in toto et pleno robore reservata. Haec sua praesenti personali Recognitione ad praemissa omnia et singula mediante.

12/VIII

Feria tertia post Festum Sancti Laurentij Leuitae et Martyris proxima, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo.

Baraniecki Coniuges sibi mutuam Aduitalitatem inscribunt

Comparentes personaliter coram Officio et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premysliensibus Nobiles Stephanus Baraniecki ab Una, et Martha Szembowna partibus ab altera Coniuges legitimi, sani mentibus et corporibus existentes, a Terrestribus Iuribus Iurisdictionibusque suis quibusuis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premysliensi Iurisdictioni, quo ad actum hunc attinet, se, cum Successoribus, ac bonis suis generaliter omnibus totaliter, et plenarie incorporando atque subijciendo palam, libere, publice, ac verbo expressum recognouerunt et

quilibet illorum seorsim suo interesse recognouit. Quia ipsi coniuges Consors cum eiusdem Mariti sui Viri Tutoris Coniugati personali assistentia, et Vtroneo ad infrascripta recognoscenda consensu, sibi mutuo et inuicem Vna pars alteri, omnium generaliter Bonorum suorum mobilium et immobilium, haereditariorum et obligatoriorum, Summarumque pecuniarum quarumuis, necnon Auri, argenti, clenodiorum, Vnionum, Margaretarum, Vestium, Vestimentorum; tum Stanni, aeris, cupri orichalci, pecorum, pecudum, equorum, equiream, ac totius Suppellectilis domesticae, in quacunque forma et materia existentium nunc habitorum et in posterum habendorum, mutuam libertatem et Vsumfructum ad extrema Vitae Vtriusque eorum tempora tantummodo et non Vltra inscripserunt, concesserunt et assignauerunt, prout inscribunt, concedunt, et assignant praesentibus tali Videlicet modo et conditione. Quod si prius Generosum Nobilem Stephanum Baranieczki Maritum, quam ipsam Nobilem Martham Szerzkowna Consortem ipsius mori et de hac luce decedere contigerit, extunc eadem Nobilis Martha Szerzkowna Consors sua, Bona supra omnia, et Summas pecuniarum morte praedicti Mariti sui derelictis, cum omni eorum Iure, dominio et proprietate, competentiaque et prouentibus quibuscunque omnibus, et singulis eorundem Vtilitatibus et Vsufructibus tenebit, habebit, et possidebit, illisque quiete et pacifice Vtifruetur ad extrema duntaxat Vitae suae tempora: post fata vero praefatae Consortis, extunc praedicta bona, et Res generaliter omnes Inscriptioni praesenti subiectae, morte praedicti Mariti sui derelictae, ad successores praenominati Mariti sui, sine quouis impedimento et contradictione. Si eorum praedicta Consortis

3130

sua, totaliter et plenarie devolventur. Similiter quoque si prius praefatam Nobilem Martham Czerkowna consortem suam, quam ipsum Nobilem Stephanum Baraniecki maritum suum mori contigerit, extunc idem Nobilis bona supra genere omnia, morte praedicti consortis suae derelinquendi cum omni iure, dominio et proprietate tenebit, habebit et possidebit, illisque quiete et pacifice ad extrema duntaxal vitae ipsius tempora utifruetur. Post mortem vero, et ex hac luce decessum eiusque Mariti sui, extunc Bona suprascripta morte eiusque consortis derelinquenda ad Successores suos sine quouis impedimento et contradictione Successorum mariti sui totaliter et plenarie devolventur. Iis suis praesentibus personalibus recognitionibus ad praemissa omnia et Singula mediantibus.

13/VIII

Feria Quarta ante Festum Assumptionis in Caelum Gloriosissimae Virginis Mariae proxima Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo

Szeptyckich Obligatio

Coram Officio Actisque praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus personaliter comparens Generosus Nicolaus Szeptycki, sanus mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus Iurisdictionibusque suis quibusuis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premisliensi Iurisdictioni quo ad actum hunc attinet, se, cum Successoribus, ac bonis suis genere omnibus